





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-183339-p0002-3

DFG

15

EPITHALAMION
SCRIPTVM DE
SACRONVPTIALI CLARISS.
OMNIVMQUE VIRTVTVM LAV-
de eximia præditi D. Bartolomæi Lasan LL. Do-
ctoris peritiss. & castissimæ ipsius sponsæ Virginis
Magdalenæ, filiæ integerrimi ornatissimiq;
Viri D. Bernhardi Freidingeri, Illus-
triss. Saxonum Electori &c.
à Secretis &c.

Autore

M. IOHANNE VOGELIO
DRESSENSE.

Sit bene coniugibus, Christi quos gratia iunxit,
Incepsumq; omni tempore duret opus.
In fluo pisces laudantur, in arbore fructus:
Coniugibus laudem pignora cara ferunt.
Vota bonus nutu Deus omnipotente secundet,
Et sponsæ fratris comprobet oro preces.
Sic hilares pulcra fatis prole parentes,
Et turbet vestrum nulla querela torum.

S. F. D.
VVITE BERGÆ

1565.

17.

VOTVM PRONOVIS CON-

IVGIBVS, à M. HIERONY-

mo Magdeburgo affinitatis ergò F.

Limen optati celeber cubilis
Sponsus ingressu superat petito,
Tu faue clemens Deus, autor huius
Optime sacri.

Pace da læti placida fruantur,
Dum feret vitæ series agendæ,
Sint procul lites, & amara sœuæ
Iurgia linguæ.

Sint voluntates adamante iunctæ,
Sint ioci molles licitiq; vestri,
Sint voluptates homini Deoq;
Non odiosæ.

Si quid & vobis veniet doloris,
Ilicet Christus procul id repellat,
Coniugum toto stabilis patronus
Orbe bonorum

EPITHALAMION

AUTOR E M. IOHANN E VO-
GELIO Dresdense.

QValis adoptiu a coalescit in arbore ramus,
Vnde sator dulces maturo tempore fructus
Colligit, & cœli conuersus numen adorat,
Propitiumq; sacro veneratur honore Tonantem.
Haud aliter socius iungit duo corpora lectus,
Vnus vt amborum sit amor, sit & vna voluntas,
Vna caro, iunctis sincero in amore medullis:
Paruus vt ille Deo concordi pectore cœtus
Viuat, & electos in regna perennia ciues
Educat, ac vacui stipet penetralia cœli.
Carmen vbi citharis sacrum modulata iuuentus
Angelica, æterno diuinum nomen honore
Accumulat: vasti responsant limina templi,
Lucidaq; impulsas reddunt sacraria voces.

Sed libet istarum causas euoluere rerum
Altius, & casti nodos inquirere amoris,
Et quid conjugium tacita sub imagine pingat
Dicere, tum lœto sponsis gratabimur ore.

Cum Deus ex nihilo spaciose climatæ terræ
Omnipotente bonus verbi virtute creasset,
Et quem præficeret cunctis, dcessse videret:
De tellure virum rubea formauit in horto,

A 2 Cui

Cui vitam afflatu tribuit, Verboqz potenti
Extulit atqz rudes firmavit corporis artus.
Post, vt & is sociam generis fœcundus haberet,
Sopito exemit lateri (mirabile) costam :
Inde pudicitia fecit præstante puellam,
Fædere connubij cupido quam iunxit Adamo,
Omnipotens rerum faber hæc in verba locutus :
Vos, opus & nostræ figmentum nobile dextræ,
Cui dignatus ego patrio de pectore dotes
Partiri effusas, & magnum hunc addere honorem;
Crescite fœcundi, vestraqz propagine terram
Replete, imperio sunt omnia tradita vestro.
Quod creat vnda maris, tractusqz volubilis auræ
Educat, id iuris vestri est: Dos addita primis
Hæc sit coniugibus: iunctorum exempla parentum
Inclita progenies mandata lege sequatur.
Sæpe quis occultas premet, intra pectora flamas,
Coniugis & placitæ forma ingenioqz retentus,
Securus viuet peregrina in gente parentum.
Sic ait. Inde sacri restat nunc copula lecti,
Verbaqz perpetuum retinent, fidissima pondus
Prima Dei: Et quanqz longè mutatus ab illo
Connubij status est nostri, cum dira furore
Dæmonis inuasit culpa & genus omne malorum :
Attamen est aliquid reliquum, neqz funditus ordo
Interit vitijs hominum, quem fixa Tonantis
Regula firmatum stabili bonitate tuetur.

Ergo

Ergo quis addubit stolidus, connubia curæ
Esse Deo, nutuq; Dei felicia iungi?
Fata regunt homines, fatis natura ministrat,
Lapsarum fatis rerum conuertitur ordo:
Ipsa volente Deo & fatis connubia fiunt,
Nil cæco fortuna gradu casusue gubernat,
Namq; Deus cum sit castus, castissima poscit
Corda, quibus sese fragili hoc communicet orbe.
Eheu sed prohibent naturæ vulnera nostræ,
Ne tenerum omnino caruisse libidine pectus
Possit, & in vetitum affectus nituntur amorem.
Sed foret ut tanto medicina relicta dolori:
Coniugij nobis sacra connubialia restant
Fundatore Deo, qui cæcos arte furores
Hac cohabet, niuei ne rumpant septa pudoris.
Qui nequit ergo pati, quæ pectore sentit amoris
Vulnera: Ne damno sibi sit, flammisq; coactus
Turpibus, æterni violet mandata parentis:
Eligat è vacuis vnam, neq; longius erret,
Hancq; sacerdotis iunctam sibi diligat ore,
Est etenim satius lecti tolerare mariti
Vincula: quam vetitis iuueniliter ignibus vri,
Corporis aut proprij scortando euerterc honorem,
Et sibi perpetui caussam importare doloris.
At socialis amor, sacri quem Flaminis aura
Copulat, & nutu firmat Deus ipse tenaci:
Laudis eget nunq; nusq; contraria sentit

A 3

Fata:

Fata : sed in media rerum vertigine cœlum
Suspicit : Hic facilem se credit habere parentem,
In melius referet qui tantæ incommoda cladis.
Coniugij siquidem est finis, non ægra voluptas
Corporis, aut iunctæ præsentia commoda vitæ :
Sed sit ut in paruo sacrata Ecclesia cœtu,
Quæ pietate Deum celebret, votisq; pudicis
Illi operata, sacros post fata relinquat alumnos,
Qui raptos æquent in relligione parentes,
Aeternaq; Deo læti pietate ministrent.
Hæc bona post obitum qui natis cunq; relinquunt,
Relliquere satis: Dabit ipsis cætera rerum
Conditor, & quantum vix ausint credere, larga
Maximus adjicet dextra patrioq; fauore.
Quid mihi diuitiæ, regniq; potentis honores ?
Quid facie coniunx Helena præstantior ipsa ?
Quid fundi, latiæ greges ? quid turribus arces
Egregiæ ? magno validum quid robore corpus ?
Si Deus hostis erit, si viuam iniuisus Olympos,
Semper & vtrices metuam perterritus iras,
Venturas videat cum mens male conscientia pænas.
Præstat habere Dei quicquid clementia nobis
Suggerit, exortes q; tanti viuere amoris,
Delicias inter vitæq; fugacis honores.
Ergo piam casto tibi delige pectore sponsam,
Securaq; Deo commenda cætera mente.
Ille dabit facilem cursum, euentusq; secundos

Largus

Largus opum, dextraque potens, animoque fidelis:
Qui cum magna dedit, maiora prioribus addit,
Defessus nunque dando, neque muneris expers.
Ipse, licet damnis connubia casta laborent,
Et compressa malis vix vlla remedia norint:
Improuisus opem licitis in amoribus affert,
Coniugijque decus patria bonitate serenus
Afferit, & casto conceptas pectore flamas
Excitat & sacri flatu Spiraminis auget.
Fæderis hæc siquidem sunt arcti dulcis imago,
Filius æterni quo Christus honorque parentis,
Sustinet humanæ coniunctam numine massam
Carnis: & oblato non deditur honore,
In cruce quem fuso purgauit sanguine, cœtum.
Nam veluti sponsus sponsæ suspirat amores,
Et stabiles alaci circumfert pectore flamas,
Hæc & adæquato respondet amabilis igne.
Tum factam sacro verbi testante ministro,
Semper utrinque fidem præstant, Venerisque vagantes
Exosi motus, tranquilla in pace senescunt.
Et sic Læticiae simul oblati^q doloris,
Consortes caræ recreantur prolis amore.
Cumque sit imbellis, neque prædita viribus uxor:
Strenuus inuadit pro coniuge prælia coniunx,
Ut defensa domi soboles in pace quiescat,
Nuptaque sopito custodiat igne penates.
Sic pius æterni Natus Genitoris imago,

Immenso humani generis deuictus amore,
Innocuum magno defendit numine cœtum.
Hunc passim toto collegit ab orbe vocatum,
Hunc amat, & soli sese communicat illi,
Attribuitq; volens æternæ lucis honorem,
Iusticiæq; decus, summiq; palatia cœli,
Deq; suo & Patris venientem pectore Flatum.
Is dubios firmat, pressisq; leuamina rebus
Sufficit, & cæco dux ex errore vocatos
In melius retrabit: Tum quæ via ducat ad astra,
Ignaris vario rerum in discrimine monstrat.
Sicq; ministerio verbi Flatusq; sacrati.
Nos sibi coniungit fratres, sanctoq; parenti
Progeniem sistit Christus, ciuesq; reposcit,
Qui secum vacui subeant commercia cœli:
Cum Lux summa feret mundi properata ruinam,
Gaudebitq; suo rerum natura vigori
Reddita, nec tristes post experietur abusus.
His puto compulsum te Vir clarissime caussis,
Inclita legitimi venari gaudia lecti,
Egregijq; toro sociam legisse pudoris.
En pietate Dei vera mandata capeſſit,
Custoditq; libens, quantum non noxia tardant
Semina primorum culpis infusa parentum.
Accedit morum probitas, & gratia fandi
Mollis, & excultæ facilis solertia mentis,
Divitijq; fides melior, flauoq; metallo,

Lydius

*Lydius aurifluo quod gurgite procreat amnis.
Si quod & à facie decus est, laudemq; meretur
Forma puellaris: venit hinc quoq; gloria sponsæ
Magna: Sed adiunxit quod ei ornamenta pudoris:
Tanto alijs iusto prælucet honore puellis:
Quantum alias niueo stellas premit Hesperus igne.
Nouit enim casto quod nil sine pectore vultus
Gratia proficiat: Sed damnum sæpe puellis
Afferat, & longo breuis aucta dolore voluptas,
Aeternis animas mergat post funera pænis.*

*Eximios nequeo tacitos liquisse parentes,
A quibus ut cepit ducentæ exordia vitæ:
Sic simul illorum exemplo Virtutis amor
Assueuit tenerisq; piè succircuit ab annis.
Vera loqui liceat, dictorum patria testis
Dresda mihi fuerit, vitamq; parentis honestam
Nomine, quo par est, extollet ad ardua cœli
Sidera, conuexo donec labentur Olympo,
Aureaq; insignes vibrabunt lumina stellæ.
Fronte micat grauitas, pietas in pectore sedem
Legit, honestatis studio mens dedita feruet,
Et recti veriç tenax, contraria damnat.
Talibus acceptus meruit virtutibus esse
Principibus, terræ qui Misnidos arna potenti
Imperio, & lata celebres ditione gubernant.
Hinc dignum illi habuere virum, qui mystica chartis
Consilia exciperet, multisq; incognita nosset*

Cæpta

Cæpta Ducum, & fido concredita corde taceret.
Viue decus cultæ felix memorabile Dresdæ:
Viuat adhuc multos & tecum compleat annos
Vxor, honestatis & amandi plena pudoris,
Fœmineæq[ue] decus turbæ: tu quale virorum
Albidos ad ripas Augusti in Principis aula,
Illa domi curet, quæ rerum postulat usus:
Publica tu tractes melioris munia curæ.
Sic ortos vestra videatis prole nepotes,
Qui virtute pares titulis neq[ue] forte minores,
Conciliant æui vobis rata gaudia flore.
Omen in euentu est, en nunc gener optimus instat,
Et natæ feruens ambit connubia vestræ.
Ergo fidem, nuper cupido quam dextera fecit,
Solute, & hac alacres hymeneia gaudia luce
Integrate viro: sic fatis debitus ordo
Postulat, & superum fert indubitata voluntas.
Tu quoq[ue] pulcra libens amplectere sponsa maritum,
Respondeq[ue] viri curis, quas ille medullis
Flammeus & casto nutrit correptus amore.
Supplicibus nisi vis aliquid concedere votis,
Sæpe Deo quibus est operatus, ut illius esses,
Concessam cum qua vitam produceret, vxor:
Aspice præstantes in claro pectore dotes,
Et titulos nomenq[ue] viri, quibus additus aulæ,
Principis Ensiferi commissa negocia solers
Expedit, inq[ue] dies maiori assurgit honore.

Ferreæ

Ferrea sis, durosque geras in pectore truncos,
Hunc nisi sponsa volens merito amplectaris amore.
Nam quantum exuperat salices procerior alnus,
Flumineis longè extendens sua brachia ripis:
Tantum alijs multò sponsus præstantior arte
Extulit ingenium, nomenque perenne labore
Quæsum licito, tibi nunc commune, parauit.
Hesperiae quoties, cum vellet abire, puellæ
Terferunt querulo manantia lumina fletu,
Huncque sibi generum matres, natæque maritum
Optauere dari, sinerent modò numina Diuum.
Sed nostris illi restabat debita terris
Vxor, & Ausonia Deus ipsum ex gente vocatum
Reddidit eximia celebrato laude parenti:
Is nunc Leucoream senior concessit in urbem,
Ut medias inter videat sua funera Musas,
Quas senij cantu fastidia tollere sentit.
Fortunate senex nato, filiique parente
Eximio felix, & ob id quoque maior honore.
Talem igitur Virgo complectere candida sponsum,
Aequi paraque boni curas in amore mariti.
Sed video noscoque tuas in pectore flamas,
Sponsa quibus sponsi respondes mutua amori,
Exæquans animis castos ingentibus ignes.
Indulge ceptis (ita mandant numina) curis,
Huncque tibi pariterque virum Dominumque memento
Constitui, cuius monitis iussisque ministres.

Sed

Sed ne dura time : mandabit mollia coniunx,
Quæ præstare queas : Te vas quia debile nouit,
Ille cui auxilio subeat, cum pondera vincunt :
Non premet, aut tetro violabit durus abusu.

Plura sed attexi præsens cum matre Cupido,
Iunoq; legitimi præses dulcissima lecti,
Et vulsa prohibet Phœbi sacer impetus aure :
Claudite facundæ mecum mea carmina Musæ,
Haec tenus officij procedunt munera vestri.
Nunc Venus & iuncti præses Lucina cubilis
Quod restat peragent : en sera crepuscula noctem
Pullata inuetam terris caligine ducunt.
Legitimi florem sponsi decerpite amoris :
Mutua sic vestro regnet concordia lecto,
Et Charites & cana fides rata vincula feruent
Coniugij: optata sic facti prole parentes,
Delicias inter peragatis mollia vitæ
Tempora, dum clemens mæsto Deus euocet orbe,
Consortesq; sui vos sistat in æthere regni.

F I N I S.

18. Nov 1996

Nh 1217



Farbkarte #13

B.I.G.



EPITHALAMION
SCRIPTVM DE
SACRONVPTIALI CLARISS.
OMNIVMQUE VIRTVTVM LAV-
de eximia prædicti D. Bartolomæi Lasan LL. Do-
ctoris peritiss. & castissimæ ipsius sponsæ Virginis
Magdalenæ, filiæ integerrimi ornatissimiq;
Viri D. Bernhardi Freidingeri, Illus-
triss. Saxonum Electori &c.
à Secretis &c.

Autore

M. IOHANNE VOGELIO
DRESDENSE.

Sit bene coniugibus, Christi quos gratia iunxit,
Incepturnq; omni tempore duret opus.
In fluvio pisces laudantur, in arbore fructus:
Coniugibus laudem pignora cara ferunt.
Vota bonus nutu Deus omnipotente secundet,
Et sponsæ fratris comprobet oro preces.
Sic hilares pulcra fatis prole parentes,
Et turbet vestrum nulla querela torum.

S. F. D.

VVITE BERGÆ

1565.

17.

